

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno M DC LXXXII.

*MISCELLANEA HISTORICA REGNI BOHE-
miæ. Auctore Bobuslao Balbino, e Socie-
tate Jesu.*

Pragæ, Annis 1679. 1680. 1681. in fol.

Cum Historicam Rerum Bohemicarum Epitomen, seu Bolesla-
viensem Historiam anno 1677 clarissimus Auctor edidisset,
cognovissetque una Orbis Eruditi voce ac consensu lucubra-
tiones suas approbari, operi majori quod meditatus forte du-
dum fuerat, se accinxit, Memorabilia Bohemiæ univèrsa, Naturalia,
Civilia, Sacra, vicenis & amplius libris complexurus. Eorum tres
prios Decadem primam inchoantes publici jam juris, etsi diversis
temporibus, facti sunt: reliqui ut speramus, ac quotquot bonis literis
operamur, vovemus, suo tempore sequentur. At in illis tamen tribus
libris ea se offert rerum varietas, ut ex primo tantum, qui naturalem
Bohemiæ Historiam exhibet, ac situm adeo regionis, montes, fluvio-
s, metallorum fodinas, varii generis gemmas, thermas, acidulas, plan-
tas, pisces, feras, aves, & quæ huc spectant alia, suaviter æque ac docte
describit, hac vice excerpenda quædam, & pro instituti ratione pauca
quidem, ac sine delectu sollicito, censuerimus; reliquis, quorum alter
Bohemæ gentis originem, alter Topographiam Bohemiæ tradit, in-
mensum proximum sepositis.

Capite V. salubritas aeris in Bohemia commendatur, asseriturque
duplici singulari argumento. Unum est, Reges Bohemos, quoties-
cunque ægroti, vel in Austriam, vel in Hungariam, aliove se deporta-
ri jusserunt, brevi obiisse; contra qui infirma valetudine in Bohemi-
am advenerant, plerosque sanitatem recuperasse, idque constare ex-
emplis *Sigismundi, Maximiliani II, Matthiæ, & Ferdinandi III Cæsa-*
rum, ac Annæ Conjugis Matthiæ. Alterum est ex complexione cor-

H h

porum

porum ac proportione debita, quam Statuarii præstantissimi agnoscant, *Pragenſe caput* appellantes, quod in conformatione & cælatura capitum perfectissimum est. Hujus rei indicium sibi fecisse *Dn. Christophor. Arnoldum* Auctor in additamentis ad finem trium librorum fatetur.

Cap. VI. *Montes Giganteos* describendo refert, ipsos fumantes die serenissimo pluviam aliasque cœli injurias prænunciare, indeque *Compassum* aut indices temporis appellari: in valle eorundem quadam calidissimo anni tempore nives altissimas jacere, & vel sedecim annis servatas colore inter se distingui, dum vetustissimæ colorem subrufum, recentiores nitidiorem exhibent. Inter herbas quam plurimas *Angelicam* repertam altitudine hominis staturam, crassitudine humanum brachium longe superantem; & *Carlinam* seu *Chameleontem album*, qua herba omnem Germaniam carere scripsit *Matthiolus*. Esse eodem auri & gemmarum ditissimos, & a Spectro quod *Ribenzall* appellant infessos, de cujus nomine & factis varia affert.

Cap. VIII. de duobus montibus agens, *Mileſſum* omnium in Bohemia altissimum tempeſtatis præſagum ipse expertus testatur. Cum enim die serenissimo nebulis contegitur, cæteris circum montibus etiam serenis, n.ox imbres sequuntur; Si vero idem solus innubis stat, reliqui montes impune fumare spectantur.

Cap. IX. Ex Jesuitæ *Chanovvsky* oculati testis *Vestigio Bohemica Pie cap. ult.* recensentur montes versus Bavariam, non tam situ (alii enim ad septentrionem, alii ad meridiem latus obvertunt) quam cœlo & temporibus adversantes, latissimis tamen vallibus diremti, in quorum altero sæpius æſtas, in altero opposito hiems dominatur cum nivibus altissimis: ob quam causam, dum illic demessa sunt omnia, hic seges virescit. Magis mirandum, in Tractus *Pillnensis* agris contiguis, quos unus tantum sulcus separat, illos adhuc hibernare, hos sole aduriri: ibi caput attollere frumentum, cum hic in culmum adolescit: illic bene pellitos ingredi incolas, hic pelles exuere. Adjicit *Miscellaneorum* Auctor tale aliquid sibi accidisse an. 1652. Cum enim Glacio in Bohemiam ob nives altissimas traha veheretur, superatis montibus, qui Comitatum *Glacensem* a Bohemia determinant, altero latere montium omnia viridia reperisse, coactumque relicta traha currum petere: ac incolas autem eorum montium confirmasse, quotannis ita evenire.

Cap.

Cap. XI. Antra & cavernas memorabiles continet, in quibus
antrum S. Iovani Eremitæ, quem Bohemia ut Sanctum colit, ex cujus
 petra aqua guttatim stillans, si in lapidem subjectum inciderit, concre-
 scit in saxum, vitro excepta, aquositatem nativam & perspicuitatem
 crystallineam retinet.

Cap. XIII. ad XXI. multa sunt de auri copia apud veteres Bohe-
 mos, de amnibus auriferis, de fodinis mineralium; auri (quod aliquan-
 do album adeo est, ut ignorantes fallat) argenti, stanni (quod cum An-
 glico bonitate certat, atque a peritis modice correctum pro Anglica-
 no venditur) ferri, cupri, plumbi, aluminis, mercurii, nitri (quod non
 est opus sæpe fodere, cum in superficie telluris pateat, & noctibus
 flamma erumpente aut etiam post pluviam medio die sese prodat,)
 sulphuris, calcis lapidis (qui in calcem præstantissimam Italorum mura-
 riorum proverbio commendatam vertatur) marmorum &c. deque
 Spectrorum in fodinis iis tumultuationibus.

Cap. XXII. Chartarias Officinas enumerando errorem *Mylis in*
Horto Philosophico perstringit, quod artem chartæ conficiendæ pri-
 mum circa an. Chr. 1470 inventam affirmat, cum tamen non paucos
 in charta scriptos Codices ante an. 1340 Bibliothecæ ostendant. Porro
 Jochemthalensem chartam eam perhiberi bonitate narrat, ut in Hol-
 landiam devehatur, atque in politissimam & tenuissimam refingatur:
 illam scil. crassam facile pati unam sui philyram in duas diduci.

Cap. XXIV. & quatuor sequentibus, Thermas Teplicenses, Ca-
 rolinas, Desnenses; Acidulas Egrenses, Teplenses, aliosque fontes salu-
 tares enumerat & commendat. Thermas Carolinas scribit ob fervo-
 rem ab humano corpore, nisi refrigerentur, perferri non posse, in iisque
 ter quaterve intinctas gallinas aut sues, pennas aut pilos amittere: A-
 quam thermarum intemperantissime sed innoxie a lavantibus potari:
 incipere eos a paucis, exempli causa decem cyathis, addere altero die
 plures, augere quotidie potus mensuram, multos ad cyathos aquæ 40,
 50, 60, 70. ascendere; quibus tanta alvi lubricitas acquiratur, ut simul
 bibatur, simulque perdat, in perfectæ curationis argumentum; inde
 descendentes a maximo cyathorum numero ad paucos sanitatem jam
 recuperasse. Aquas earundem thermarum lapidescentes esse, & pone
 ipsū craterem bullientis aquæ promicare e subterraneis venis frigidis
 aquas acidulas. Porro ex P. *Chanovski Vestigio Bohemia Pie*, adducit

fontem *Wodolanckam*, ex quo rustici, quoties siccitas aliqua agris siccitatem invexit, aquam hauriant certatim, ac in fontes & puteos suos exsiccatos infundendo, pluviam expectent & consequantur. Ex quo conjicitur, posse hoc modo venas fontium reparari, posse halitus & humida quædam effluvia concitari, posse aqueo quodam magnetismo nubes attrahi.

Cap. XXIX & sequentibus, de Gemmis & pretiosis lapidibus tractans, piscatum margaritarum, cui interfuit ipse, commemorat, recentissimosque quamplurimos pretiosos lapides cum *Marco Marci* fatetur destitui duritie & maturitate, quas dotes Orientales habent, excepto tamen *Granato*, quem Orientali præstantiorem perhibent: *Corallia* quoque in rivo quodam collecta, marinis coloris vivacitate nihil concedere: ante paucos etiam annos novum gemmarum genus in Albi deprehensum esse, lapides scilicet niveos, *Elbsteine* appellatos, qui arte polito adamantis lucem æmulantur.

Cap. XXXIII. Ignobiliore lapides enumerando meminit parvi montis prope *Egram* fluvium, cujus viscera subterranei ignes depascuntur: aurem solo admoventem murmur ventorum aut flammarum, exaudire, viciniamque non semel terræ tremorem cum tristi mugitu sensisse. Observat quoque Acum ferream a magnete contactam, nunquam in Bohemia recta polum septentrionalem respicere, sed orientem versus ad octo aut etiam plures gradus averti.

Raris naturæ Cap. XLIX, L. & LI. collectis annumeratur (1) Fungus Cervinus a *Kirchero* in *Mundo subterraneo* descriptus. (2) Terra figillata, attestante *Marco Marci* par optimæ. (3) Cornu fossile, de quo in *Additamentis* quædam iterum habet. (4) Ossa gigantum vera & fossilia. (5) Ollæ fossiles, quas ex argilla media extractas rusticæ mulieres siccant, & coquendis rebus omnibus adhibent; sine dubio naturæ lusu factæ, non feræ olim repositæ demortuorum, ut *Jonstonus* opinatus est. (6) Vitrum fissile & fossile, quod *Talcum* vocant, & vix ullibi in Europa, quam in *Moscovia* reperiri persuasum vulgo habent. (7) Succinum flavum probatissimum, quod maxime post pluviam reperitur, & ab orbitis rotarum transeuntium ejicitur. (8) Zingiber inter aromata non postremum. (9) Lapidés rotundi cavi, ex quibus contractis globus excidit, alter quasi nucleus, qui in minutissimam farinulam & pollinem redactus bibitur, & calculos efficacissime pellit. (10)

Similis

Similis alius Lapis, cuius saxeus cortex cum frangitur, alius se offert lapis, in quo rursus velut medulla, instar vitelli, candidissimus clauditur lapis, prorsus rotundus: hic in ignem coniectus brevi tempore exardescit, & cum ingenti sonitu, instar manualis fistulæ sese exonerantis, disrumpitur. (11) Lapides qua terra extant glabri, qua parte in terram merguntur, asperi, cuspidibus quatuor, quinque, sex, septem vel octo etiam angulorum, quarum una alteram longitudine superat: Ipsæ Soli obversæ, licet candorem crysfalli imitentur, in extremis tamen Iridem gratissima colorum varietate mentiuntur. Vide Additamenta. (12) Via saxea in lapideo monte ex genere lapidis mollis & pumicosi, qui vestigia impressa omnis generis & sexus hominum animantiumque inconfusa multis annis servavit. Suspicio est, cum illa via lutosâ & humida tempestate viatores ac animantia transirent, sua in luto reliquisse vestigia, quæ saxifico semine postea incidente durata in saxum excreverunt, hodieque perseverant. (13) Conchæ saxæ, limaces & serpentes saxei, tam affabre formati, ut viatoribus horrorem incutiant. (14) Antimonium ante non multos annos inventum.

Cap. LII, LIII, LIV, Piscium genus duplex in Bohemiæ fluviis refertur, tum peregrinum, quod ex mari adscendit, tum domesticum, quod fluviis ipsis innascitur. In priore genere eminent *Salmones*, qui aqua dulci invitante, per *Albim* adversum usque in Bohemiam eluctantur, occurrentes sibi dextra lavaque fluvios fastidiunt, *Egram* quoque respuentes. Ubi *Muldavam* occurrentem degustaverint, dividere agmina solent, & molliores, præcipue fœmellæ, *Muldavam* tenent, fortiores plerumque in *Albi* perseverant. Qui in *Muldava* pergunt, *Pragam* mediam transeunt: in *Wataro* flumine ad urbem *Piseka* parvam prolem *Salmunculos* digitali longitudine fundunt, qui secundis fluminibus in mare parentum patriam veterem properant, reversuri forsitan suo tempore. Qui in *Albi* perseverant, ipso tandem deserto in *Aquilam* fluvium feruntur, ejusque fontem petunt. Ibi sua ætate, intra anni dimidii spatium, septingentos magnitudine insignes retibus exceptos testatur Auctor. Post *Salmones* est *Sturio*, quem in *Albi* tabescere falso scripsit *Jonstonus*. Asseverant piscatores, nullum præterire annum, quo non ignotus aliquis a mari piscis veniens capiatur.

Cap. LV, LVI. Piscinas enumerat, in quibus carpiones annulis aut circulis ære aliquo lucentibus secundum os aut caudam signati

ultra 40 annos asservati fuere. Hanc tractationem obfignat Lacuum historia, ad quam referuntur hiatus & fossæ inexplorabilis profunditatis in Boleslaviensis districtus campo medio, in quibus aqua stagnat & hieme gelatur, ac venti generantur, qui volantes totam Bohemiam evertunt, ac sæpe impetuoſi secum glaciem rapiunt in auras, plurimorum centenariorum pondere ultra mille passus, in stragem hominum, pecudum & ædificiorum.

Cap. LVIII. Venationes ferarum in Bohemia usitatas percontet, addens Leporem monstruosum captum, qui fratrem in dorso ferebat; pastum & potum corpore in uno colligatos fratres sic dispensasse, ut modo hic, modo ille pasceretur, cumque hostes instarent, quantum posset, fugisse eum qui terram tangebatur, postea fessum ac in tergum resupinum fratri integro fugam tradidisse persequendam. Similem ex Miscellaneis Acad. Nat. Curiosorum in Ephem. Erud. Paris. 24 April. 1677 descriptum vide.

Cap. LIX, LX, LXI. Varietatem & multitudinem animalium quadrupedum tam ferorum, quam mansuetorum memorat. In quo argumento occupatus narrat, se vidisse in *Castoribus* geminum testicularum ordinem, sic ut inferiores duo quasi crescentes novique appareant, alteri superiores veluti effecti marcescant & macrescant, donec esse desinant: *Bartholomæi Anglici* locum, in quo pro *Bovi* legendum *Loni*, emendat; *Pliniumque* explicat, referentem, in fuga Bonasum reddere fimum interdum trium jugerum longitudine, cujus contactus sequentes ut ignis adurat. Nimirum non dicit *Plinius*, ejaculari Bonasum ad 120 passus, sed reddere sive per humum spargere fimum ad tria jugera; qua ratione nihil opus est aut *Plinium* mendacii accusare, aut librarios deceptos cum *Mureto* suspicari, loco *trium orgyarum*, trium jugerum legisse.

Cap. LXIV. Inter Insecta Scorpiones Pragæ natos, cum maximus æstus fuit, habet, quos celeberrimus *Marcus Marci* legitimos & venatissimos deprehendit.

Cap. LXV. Ad finem usque libri hujus Primi historiam Avium atque Aucupia persequitur. *Aldrovandum* notat male scripsisse, Perdices rufas Bohemæ illatas rigidioris cœli impatientia durare non posse. Rarissimam avem *Capreolum* ex Bohemica lingua dictam, æstate tantum aut primo autumno apparentem, pica non majorem narrat se vidisse,

vidisse, quæ cum noctu per aerem volitat, caprinam ac tremulam vocem (*Mee Mee*) emittit, ac simul incondito se saltu & prorsus caprino ejaculatur. De Phasianotrophiis earumque avium hebetudine & stoliditate differit. Historiam avis Bohemico solo quoad nativitatem & educationem propriam, quam *Gesnerus* male *Garrulum Bohemicum*, Germani aptius *Seidenschwanz* appellant, ex *Ulysse Aldrovando* repetit, inque notis subnexis reprehendit potissimum i. nomen *Ampelidis* ab Aldrovando datum, arbitratus rectius vocari *Pterocliam* quasi peninis gloriosam, aut *Sericatam* cum Germanis. 2. Inter aves hieme alibi viventes referri.

CHRISTOPHORI VVITTICHII

Exercitationes Theologicae editæ cura & studio ipsius

Autoris, multis quoque in locis auctæ.

Lugduni Batavorum, apud Cornel. Boutestein

Anno 1682, in 4.

EXercitationum sub uno volumine hic compactarum Tituli sunt isti: Primæ, DEUS MUNDI RECTOR: Secundæ, CHRISTUS HUMILIS ET ALTUS: Tertiæ, FIDES SANCTORUM PERSEVERANS ET CERTA: Quartæ, FUCATA GENTIUM VIRTUS: Quintæ, VERITATES ET ERRORES FUNDAMENTALES CUM ANNEXIS. Natæ vero sunt illæ diversis temporibus, dum, ut ipse Autor scribit in Præfatione, in gratiam Studiosæ Juventutis, pro Disputationibus publicis & Exercitationibus Academicis, argumentum aliquod elaborandum fuit. Cum autem lucri cupidi Typographi, non consulto Autore, has ipsas sub forma libelli in 4. Lugduni Batavorum superiori anno divulgassent, nec titulos dissertationum, nec ordinem iis debitum servassent, Autor suum ipse potius fœtum pro virili exornatum & auctum, in lucem emittere voluit, quam ut illotum incomtumque ab aliis orbi erudito exponi pateretur. Hoc jure suo usus, & nomina dissertationum mutavit, & ordinem iis convenientem assignavit.

In *Prima* Exercitatione Autor non modo Existentiam Dei contra Atheos duobus argumentis ab Idea Dei singulis connata, & Hominis ad seipsum reflexa consideratione, juxta Cartesii doctrinam demon-

mon.

monstrat, priori ex Rom. I. 19, posteriori ex Act. XVI. 16. 17. robur concilians; sed & providentiam Divinam, quoad omnes actus diligenter explicat, imo cum libero hominis arbitrio conciliare, & simul ab Ecclesiis Reformatis illud dogma, *quod Deus sit autor & causa peccati*, removere satagit. In *Alterâ* duplicem CHRISTI statum, humiliationis & exaltationis, in cap. II. Epist. ad Philipp. a v. 6 ad 13. fundamentum, juxta Religionis suæ hypotheses fuse proponit. In *Tertiâ*, fidei natura studiose indagata id agit, ut ostendat, eam esse immutabilem, constantem, atque perseverantem, ut adeo fideles de remissione peccatorum, electione, & salute sua certam habere possint persuasionem. In *Quarta*, ut detegat fucum virtutis Gentilium, observat requisita virtutis & bonorum operum, quorum primum est regeneratio authorem habens Spiritum S. alterum ut procedat ex fide & charitate erga Deum & mediatorem Jesum Christum. Hinc refutatis iis, qui putant, Gentilium opera esse vere bona & Deo placentia, *Zuinglium* excusat, quod Gentilibus nonnullis salutem æternam attribuerit, cum hos non nisi per fidem extraordinarie concessam servatos fuisse scripserit, in *Declamatione de Peccato originali ad Urbanum Regium*. In *Ultima* tandem Exercitatione, facta divisione fundamentalium articulorum, in generales & speciales, inter alia tradit: plures ex his necessarios esse ministris Ecclesiæ, quam vulgo fidelium: illos præciso & certo numero determinari non necesse, imo nec possibile esse: posse fieri ut aliquod dogma evertat fundamentum, quod tamen in mente illud tenentis non evertat, si non videat contradictionem: non esse necessarium, ut præcise omnes errores in numerato habeantur: de necessitate consequentiarum judicare quemlibet in sua conscientia: Concilia œcumenica non posse ita decidere controversias, ut quilibet fidelis teneatur in conscientia ad istiusmodi decisionem: Prætextu, quod articuli fundamentales in paucis consistant, non debere studium proficiendi impediri: qui negaverit eos fidei articulos, sine quibus fiducia in Christum consistere nequit, non habere fidem: Doctores Reformatos non posse tolerare Pontificiorum dogmata, quin iis contradicant: hæc vel salutis fundamentum formaliter evertere, vel aliquid illicitum in conscientia imperare: adeoque nec syncretismum cum illis ineundum esse: conciliationem dogmatum controversorum non fieri debere per verba ambigua, sub quibus utraque pars dissidens latere possit.

Et

Et hæc præcipua fere summa est illarum Exercitationum Theologicarum, quibus in fine accessit Oratio Autoris inauguralis de *Oraculorum Divinorum veritate ac Gentilium falsitate.*

ANTI-VVANGNERECCIUS,

Quem sub Præsidio Academico Dn. Balthasaris Bebelii S. S. Theol. D. & P. P. in Acad. Argentoratensi adornarunt & defenderunt pereruditi aliquot Studiosi Theologiæ.

Argentorati Anno 1682 in 4.

Cum M. Johannes Kircherus Tubingensis deserta Lutherana Ecclesia ad Romanam transiisset, ne temere id fecisse videretur, causas mutatae religionis peculiari scripto divulgavit, obtendens, quod Lutherani fidei suae fundamentum perperam in sola Scriptura quærant, tum tamen magna hominum pars sacrum Codicem ne legere quidem, nedum intelligere valeat, & sine Ecclesiae Authoritate, neque de Scripturae Canone, neque de sacrarum Literarum certitudine, neque de Divini Verbi sensu, ac interpretatione legitima quicquam certi constare cuiquam possit, adeoque conscientia hominis tranquillari nequeat, nisi in Ecclesiae Romanae, quam solam veram & erroris expertem asserit, sinu conquiescat. Huic Ætiologiae Kircherianæ cum anno 1641 Johannes Georgius Dorscheus Argentoratensis tum temporis Theologus, ad nutum Serenissimi Principis Würtembergici Hodegeticum suum pro dijudicanda Scripturae & Ecclesiae authoritate opposuisset, inventus est multis post annis Henricus Wangnereccius Jesuita Dilingensis, qui a Johanne Abbate Elchingensi sollicitatus in Anti-Dorscheo suo Kircheri patrocinium suscepit. Verum e Dorscheanis offibus ultor exurgens Dn. D. Balthasar Bebelius, eruditos aliquot Theologiae Studiosos excitavit, ut se Duce atque Præside pro Dorscheo disputationibus publicis contra Kircheri Hyperaspisten militarent, quod & strenue pro suis quisque viribus fecerunt. Quæ autem Disputationum istarum, numero 12. argumenta sint, cum ex dictis pateat, repetere superfluum putamus.

Ii

HEN-

HENRICI VALESII

Nota & Animadversiones in HARPOCRATIONEM, & Philippi Jacobi Mauffaci Notas. Ex Bibliotheca Guilielmi Prusteau, Antecessoris Aurelianensis.

Lugd. Batav. 1682 in 4.

DOctorum Antiquitatum, Græcarum pariter atque Romanarum copia, quæ in hoc Scripti genere elucet, adlectus Clarissimus Vir *Jacobus Gronovius*: pietatem insimul, & suum erga Valesianos manes cultum testaturus, publici illud juris fecit, VALERII HARPOCRATIONIS (qui sub Lucio Vero forte floruit, & cujus præter Suidam, Soppater, Libanius, Meursius, Vossius, alique meminerunt) LEXICO illustrando ab *Henrico Valesio* olim adornatum. Postquam enim Valesius ingenium illustre Musis altioribus, Juris maxime studio, juvenis admodum dedisset, eam sibi legem, teste Gronoviana dedicatione, dixit, non posse vel principia vel origines publici privatique Romanorum juris percipi & intelligi, nisi Græcis notoriam perferentibus, utpote a quibus id adoptaverint Romani. In Græciæ Oratorum ergo reliquiis habitavit ejus tum temporis industria, & præcipue in Alexandrini hujus Rhetoris Dictionario, ex Græcorum Rhetorum, Antiphontis, Andocidis, Lysia, Isocratis, Isæi, Æschinis, Lycurgi, Demosthenis, Hyperidis & Dimarchi Orationibus potissimum collecto; quod ipsum quidem Venetiis, circa superioris seculi initium, una cum vetustis Ulpiani Rhetoris in Demosthenem enarrationibus, luce donaverat Aldus Manutius. Hoc velut pugillar & juveni & viro & ingravescenti ætati adhæsit perpetuum, ad auxilia quidem memoriæ primū, deinde & gratiæ causâ, quam Harpocrati tribuens non dubitavit omnia sedulo facere, ut tantis tenebris obducto scripto opitularetur: Hoc quasi sacrarium quoddam laborum suorum constituit, dignumque censuit Valesius, in quod omnis generis subsidia undique & per omnem vitam comportaret. Negari enim non potest, quod in Notis Valesianis hisce plurima occurrant, quæ Scripturam non intellectam aliis aperierunt, teterrima Scriptorum loca restituunt, Latinos Græcorum interpretes corrigunt, Historiam multis partibus illustrent, obscurissimarum fabularum deridicula, & nativum verborum atque dictionum lepore

rem,

rem, qui in fabularum scenis discitur, revelant, Poetarum quoque & Oratorum lusus ac delicias, suavitate Græcæ conditas elegantia, sine fūco sistunt. Ut taceamus, quæ in cognitione Autorum, Græcorum præsertim, in doctrina Græcæ linguæ, in tribunalis Græci formulis & harum origine, in contractuum, & forensium Actionum generibus, nec non in rebus Geographicis & Chronologicis illustrata ab eodem hic reperiuntur.

Prodiderat equidem ante hos duodeseptuaginta annos præclarum doctrinæ specimen in Harpocratiōe quoque *Philippus Jacobus Maussacus*, notisque suis hoc Lexicon non parum illustraverat. Verum & his a Valesianis non minus luminis affundi deprehendet facile, utrasque paulo diligentius qui consuluerit.

Manum vero ultimam his imponere liturariis cum Valesius ipse non potuerit, morte interceptus; qualem fortunam & alia Clarissimi viri affecta opera, Observaciones videlicet, Libros de Critica, Pollucis capita de republ. Atheniensi, experta fuisse, utique dolendum est; Obstetricantem operam superstiti commodandam monumento duxit. Gronovius, nullique parcendum sumptui, quo collectum alieno opere eruditionis instrumentum emendate atque nitide exponeretur luci, in peregrina utut regione, & post Autoris fata.

Exhibentur itaque *primo* loco Valesii Notæ in Harpocratiōis Lexicon; ubi præter Philologica & Chronologica, etiam quæ Magistratus, judicia, causas forenses, & processum Græcis olim usitatum, spectant, ex ipso Rhetorum Græcorum usu adducuntur. *Secundo* ejusdem Valesii Notæ in Maussaci de Harpocratiōe ejusque scriptis Dissertationem Criticam; ubi inter cætera Harpocratiō ab aliis homonymis, Athanasio, & Salmasio citatis, discernitur, deque Grammaticæ & Criticæ indole differitur uberius. *Tertio*, Valesii Notæ in Notas Maussaci: quas ipsas aliquot in locis doctissimus Gallorum emendat, & autoribus interdum, ex quibus desumptæ, lumen sensumque genuinum reddit. Concluditur denique posthumus hic fœtus duplici, rerum & verborum scilicet, nec non Autorum his in notis emendatorum indice.

OPUS POLITICUM IN TRIBUS LIBRIS
omnes ad doctrinam politicam, tam quoad pacis
quam belli administrationem, & tranquillum ac turbulentum Rerumpubl.
Statum, nec non Jus Publicum S. R. Imperii nostri spectantes
materias exactissime exhibens &c.

Auctore **RUDOLPHO GODOFR. KNICHEN.**
 Francofurti ad Mœnum apud Jo. Dan. Zunnerum,
 A. MDCLXXXII. in fol.

ETfi post Aristotelem, mille octingentos amplius annos, multi operam suam ad Politicam Philosophiam tradendam appulerunt; tamen *H. Conringius*, ἦν ἐν ἀγίοις, libro de civili prudentia, aliique viri πεπαιδευμένοι τὰ πολιτικά, cum in Systematibus, tum in compendiis magnò numero, a diversarum nationum autoribus, hætenus vulgaris non pauca desiderarunt. Laudanda itaque industria est, quam in colligendis & disponendis civilis doctrinæ rebus nuper adhibuit *Vir Nobilissimus Dn. Rudolph. Godfr. Knichen*, antebac *Anhaltinus & Ligno-Brigensis Ducalis, nunc Regius in Regimine Ducatus Lignicensis Consiliarius*. Novum hoc opus Politicum, varietate rerum singularium insignè, dum componeret, tractandi ordinem a *Marc. Frid. Wendelino*, Magistro quondam suo Servedæ in gymnasio docente mutuatus est. Primum quidem illud a se in privatum saltem usum congestum scribit; postea vero rogatus ab amicis, auxit, & evolutis summa fide & industria autorum, quos allegat, testimoniis, publici hoc fecit juris. Cæterum quid polliceatur *vir Amplissimus*, titulo seu inscriptione operis significat, quod in tres libros digessit. In primo de doctrina politica & societatibus humanis, tum minoribus tum majoribus differit. In secundo, cujus tractatio quatuor partibus constans prolixior est, primo de imperantibus, magistratu & modis perveniendi ad illū agit; secundo de ministris imperantium ac civibus varii generis; inde de partibus summi imperii, ut jure circa sacra, arma, tributa, comitia, foedera, judicia &c. tractat: tertio ad Imperii Romano Germanici considerationē digressus, de ejusdem origine, amplitudine, Imperatoris Romani sacratissimi ac Statuum Imperii juribus, judiciis, ordinibus ac dignitatibus civium, nec non urbium Imperialium ortu, juribus, ac privilegiis differit: quarto in
 admi

administracione Reipubl. belli tempore requirantur, offendit. Tandem in *tertio* libro causas Rempublicam evertentes & conservantes tradit, subjunctis rerum indicibus.

JOHANNIS LOMEIERI ZUTPHANIENSIS,

de Veterum Gentilium Lustrationibus Syntagma.

Ultrajecti A. 1681 in 4.

Gentiles etiam ex naturæ lumine cognovisse, Deum ita detestari peccata & scelera hominum, ut, nisi illa fuerint prius expiata, justas eorum pœnas, bella, famem, pestem & alia id genus mala immittat; erudito commentario demonstrare aggressus est *Johannes Lomeierus* autor nominis hâut obscuri. Primum in originem & causas lustrationis veterum inquirat, ac quare gentiles tot inventis ceremoniis, a peccatis sese purgare, divinumque Numen placare instituerint, exponit. Inde progressus, ordine non malo, *causas* (ut in scholis vocant,) *quatuor* cum variis circumstantiis describit. Deos gentilium *καθαρισμῶν* & *ἀλεξικακῶν* postquam allegasset, contra Stoicos & Epicurum multis scriptorum veterum testimoniis confirmat. Tria *purgationis* genera Servio ad VI Æneid. Virgilii observata, fusius, quam quisquam alius declarat. Refutat etiam Judæorum opinionem, qui ex Genes. I. 8. colligunt, Angelos secunda creationis die lapsos esse, quia non legitur additum: *vidit DEUS, quod esset valde bonum.* Tandem spicilegium quorundam *ἁγλαειπομένων* instituit ac nonnulla lustrationum genera peculiaria recenset. Quibus expositis, gentilium hanc superstitionem per Doctores, Concilia, & Imperatores Christianos abrogatam esse tradit.

D. CHRISTOPHORI Langens / JCTI, COM. PAL.

Ces. & Vice-Cancell. Sax. Isagoge ad Processum Juris Civilis & Saxonici. Cum & studio

D. Johannis Christophori Herolds / JCTi &c.

Frankofurti & Lipsiæ 1682 in 4.

Inter eos, qui hætenus in tradenda Processus Judicialis norma haud contemnendam locarunt operam, suo jure & ex merito etiam numerandus est *Christophorus Langius*, JCTus & in Jure & Judiciis quon-

dam exercitatissimus. Quamquam enim non ignorabat, plurima jamjam hac de re exstare excellentium Juris Sacerdotum monumenta; non omnino tamen oleum & operam perditurum se arbitratus est, si ipse hanc Jurisprudentiæ partem pro virili excoleret, quæque subinde tum ex præstantissimis, nec ex parte ubivis semper obviis Auctoribus, quorum longam seriem præmissus libro Catalogus texit, tum propria quoque experientia animadverterat, in schedas conjiceret. Quemadmodum vero morte præventus, hæc sua non absque judicio conquisita meletemata Orbi erudito communicare non potuit: ita non infelici rei forensis fato factum est, ut, excussis B. Viri scriniis & manuscriptis, ea tandem Cl. Jctus & Ducatus Magdeburgici Consiliarius &c. *Dn. Johannes Christophorus Heroldus*, in concinnum ordinem redegerit, variisque Collegiorum Juridicorum Responsis, Consiliis & Præjudiciis in Contradictorio latis, nec non Jctorum Observationibus Practicis, & agendi formulis, aucta & illustrata, publicæ luci exposuerit. Eo autem præcipuus hujus libri labor videtur tendere, ut, quæ in Ducatu Magdeburgico ex Jure Communi tam Civili, quam Saxonico, circa materiam Processus Judiciarii vigeant receptæ opiniones, & Judicibus & Advocatis istius ditionis sub unum conspectum & in nuce quasi exhiberentur, ne vagis & incertis juribus personarent tribunalia.

JOHANNIS BRUNNEMANNI DE JURE

*Ecclesiastico Tractatus Posthumus, Revisus & Auctus
a SAMUELE STRYCKIO Jcto.*

Francofurti ad Viadrum 1681 in 4to.

Quem utili perquam instituto paucis ante obitum septimanis ipse in lucem publicam emittere destinarat Jctus magni nominis, B. Brunnemannus librum; hunc jam proximus morti Genero sui simillimo, celeberrimo STRYCKIO, per fidei commissum quasi Consistoriorum & Ecclesiarum Evangelicarum contextum est: sic in tres distributum libros, primo exhibet Jus circa personas Ecclesiasticas, altero rerum, tertio denique ipsius Fori & Processus Consistorialis formam ob oculos ponit. Reperias hic variarum, quæ tractantur, doctrinam

doctrinarum occasione multos Ecclesiæ navos a B. Auctore notatos. Nunc oscitantiam quorundam Ecclesiæ ministrorum in procuranda animarum salute; homilias Oratoriis pigmentis sapius coloratas potius, quam ad pietatem plebis suscitandam directas; neglectum Theologiæ moralis, & explicationis Casuum Conscientiæ dubiorum, & visitationis domesticæ: nunc solennem minus baptismi administrationem ejusque periculosam dilationem, & concomitantem luxum; superficialiam nimis ad Cœnam Dominicam accessorum examinationem, omissionem frequentioris Catechisationis, Musicam Theatralem, aliaque id genus atro carbone signat. Annotationes a laudatissimo STRYCKIO singulis Capitibus subjectæ, cum aliorum Theologorum & Jctorum sententias, tum variorum Consistoriorum & Facultatum Juridicarum responsa continent, pascendis lectorum desideriis accommodatissima. Accesserunt in calce Prælectiones Brunnemanni publicæ ad Regulas Juris Canonici ex quinto Decretalium libro, per ampliationes & limitationes ita illustratæ, ut non possint non insigne de se polliceri emolumentum. Utrobique adjectus est index præcipuarum rerum locupletissimus & apprime utilis.

GABRIELIS SVEDERI, J. U. D. CONSIL.

*Wurtemberg. & Suprem. Dicast. Assessoris, Introductio in
Jus publicum Imperii Romano-Germanici
novissimum.*

Tubingæ 1681 in 8.

Quod in fronte hujus libelli promittit doctissimus Auctor, id per integrum bona fide & laudabili conatu, nec apta minus methodo, ac sincera brevitate præstat. Neque enim ex Justiniani Juribus (quæ nonnullorum, vetus illud Romanorum cum Imperio nostro confundentium, ἀπαίδευσία est) statum Germaniæ metitur, sed ex genuinis ac limpidissimis Legum Germanicarum & Actorum publicorum fontibus, suas derivavit doctrinas. Hac autem procedit via, ut, toto opusculo in Generalem & Specialem partes diviso, illa, præmissis Juris publici definitione ac fine, leges totius Imperii fundamentales latius paulo & historice explanet, mox ortum ejus, progressum, mutationes, incrementa ac decrementa, quæ subinde, avulsis hinc inde

inde provinciis, passum est, formam deinde ac divisionem hodiernam ex B. Conringii potissimum scriptis, succincte pariter & accurate ostendat: hac vero in duas iterum sectiones scissa, prima de Imperatore & Romanorum Rege, quæque de electione ejus dicenda sunt, deinde etiam de Juribus ejusdem cum reservatis, tum partim Electoribus solis, partim omnibus Imperii Statibus communicatis agat; altera vero Statuum jura singula singulis ac distinctis capitibus exequatur. Inspurguntur passim ex probatissimis ac novissimis Publici Juris Scriptoribus controversiæ insigniores, ut dubium plane nullum appareat, quin hic exiguus mole libellus, si non omnium, plurimum certe Eruditorum puncta laturus sit.

OLAI BORRICHII ANALECTA AD COGITATIONES de Lingua Latina. Accedit Appendix de Lexicis Latinis & Græcis, cum indice addendorum ad Fori Romani literam C.

Hafniæ 1682 in 4.

POSTquam vir præclare meritis de studiis literarum universis Gerhardus Joannes Vossius, de vitiis Sermonis, & Glossæ Latinæ Barbaris libros edidisset quatuor, ac in præfatione de diversis Latinæ linguæ ætatibus differuisset erudite, annis triginta post vir non vulgaris eruditionis laude celebris, Olavi Borrichii, Hafniæ cogitationes de variis L. Linguae ætatibus & scripto illustri Vossii de vitiis sermonis, una cum defensione ejusdem, & Strada adversus Gasparum Scioppium, in publicum emisit. Horum, & qui simili labore erudito occupati fuerant, Scioppii & Joannis Vossii exemplo excitatus Clarissimus Christophorus Cellarius, Smalcaldiensis, primo *Antibarbarum Latinum in VII classes distributum* publicavit, quem nuperrime ab ipso recognitum denuo & innumeris locis auctum legimus. Mox vero perlectis laudati Borrichii *Cogitationibus* jam memoratis, ipse *Curas Posteriores de Barbarismis & Idiotismis sermonis Latini*, secundum seculum distributas, luci exposuit publicæ. In quibus dum a Borrichii *Cogitationibus* memoratis dissensum quandoque suum modeste professus est Cellarius, nobilissimus Borrichius ansam indeptus est *Analecta ad Cogitationes de Lingua Latina* scribendi, queis, ubi errasse videri poterat,

terat, adversus laudatum Cellarium easdem propugnat, adducta partim diversa autorum lectione, partim MStorum fide, qua ipse quandoque nititur. Utriusque Viri studium laudandum est, quod pro virili sordes dictionis e stylo inquinatae scribentium abstergere laborant. Nec censura Borrichii eruditus displicere potest, quam de Lexicis Latinis & Græcis, appendicis loco addit. Posteaquam enim contra Clariss. Viros, *Georgium Heinricum Ursinum*, de nonnullis quæstionibus Grammaticis, & *Arnoldum Rhumannum*, in Roma sua Attica, MSto quidem libro, sed (ut ipse loquitur) amplo & erudito, sollicita viginti annorum cura ad prælum jam tandem maturo, de *coxendicis* etymologia disquisivisset, defectus clarissimorum Lexicographorum tum Latinorum, tum Græcorum notat, & boni publici causa optat, ut eruditi in Lyceis & Academiis docentes, partita inter se opera, accuratum & perfectum elaborent Lexicon Latinum pariter ac Græcum. Tandem subjungit specimen indicis addendorum ad *Fori Romani* literam C, ut ex hoc specimine Lector de reliquo ejusdem libri defectu queat judicare.

PETRI MEGERLINI, Math. Prof. Basileensis

Systema Mundi Copernicanum, argumentis invictis demonstratum & conciliatum Theologiae.

Amstelodami anno 1682 apud Henr. Wetstenium in 8.

In hoc Libello, rejectis Ptolemaico, Tychonico & Semi Tychonico, Mundi Systematibus, Copernicanum verum atque genuinum, non sensu sed ratione judice determinandum, esse contenditur. Cui fini argumenta hucusque a Coperniceis usurpata, compendio dilucide proponuntur, Terræque Motus cum natura rerum conformitas evincitur.

Unde porro ut *Autor* Motum istum Scripturæ Sacræ conciliet: sic ut in rebus fidei hujus dicta ad fidei; ita in naturalibus eadem ad Naturæ analogiam examinari, & juxta hanc intelligi oportere sustinet: cum scopus Spiritus sancti longe sublimior sit, quam ut sapientiam seculi nos edoceat, quippe qua cum Paulo se abdicet, nihil præter Crucifixi scientiam professo. Inde esse, quod ad captum vulgi se accommodando, Mundum ædificio comparet, duabus potissimis partibus Cælo Terraque, illo tanquam fornice instar veli expanso; hac

Kk

Tabu-

tabulato, seu area substrata, & propterea nunquam Globi, sed Orbis seu planitie, appellatione insignita, constantem. Atque id ipsum vel ex ipsis locis contra Copernicæos directis constare, in quibus Sol supra Gibeonem, Luna supra vallem Aialonis stetit; Umbra (temporibus regis Ezechia) retrocessisse dicatur: cum nec Luminaria dictis locis, nisi apparenter incubuerint; nec Umbra, mera sc. privatio, removeatur, sed ad motum lucis aut corporis opaci, alia atque alia fundatur. Qua una ratione etiam, Copernicæis usurpata, quomodo Sol ab una cæli extremitate ad alteram currat, Pf. XIX; occasum suum faciat, Pf. CIV; aliaque loca, de Terræ super basi fundatione &c. explicari possint ac debeant.

JOH. CHRISTOPHORI STURMII, Prof. Altdorfsini
Epistola Invitatoria, ad Observationes Magneticae Variationis instituendas.

Altdorfi, 1682. in 4.

Scripta est hæc Epistola ad Curiosos, præcipue Germanos, in operæ Societatem alliciendos, quam circa exploranda magneticae variationis (hoc demum seculo paucis abhinc annis detectæ) phænomena, proximis annis Noribergæ sibi sumpsit, Dominus D. Volckamerus, Societatis Naturæ Curiosorum Collega Nobilissimus: ut junctis hinc inde aliorum, submissisque Laudato Observatori experimentis, quid emolumentum a solerti hac indagine expectari debeat, periculum fieri possit. In specie: ut Variationis regularitate constanti plurium observationum suffragio confirmata, effectus hujus admirandi causa (felicius ac Cartesio contigerit; refutato sc. ab Observationibus in hoc negotio hæctenus habitis) indicari, digestisque in Tabulas observationibus, Hypothesis iisdem conveniens adornari queat. Unde Geographiæ spes aliqua ex Terra petendarum longitudinum affulsura; & Nauticæ, in portibus ex data latitudine & declinatione inveniendis, ingens commodum obventurum foret.

Qua ratione porro Laudati Viri quibusque conditionibus, quæ tamen aliorum monitis consiliisque attemperare paratos se profitentur, Observationes institui quam commodissime posse arbitrentur, verbis Epistolæ ipsius dare consultum duximus, quæ sequuntur:

I. Uno

I. Uno circiter eodemque anni tempore Observaciones ab universis institui, consultum foret procul dubio, & nominatim proximis Equinoctio utrique & Solstitio æstivo diebus; prout huic aut istis observandi quisque modus magis fuerit accommodus: Imo, designata semel exacte meridiane lineæ super immobili quodam plano, singulis postea mensibus acum versoriam applicare, & si qua interim Declinationis varietas acciderit, notare haud inutile futurum esset.

II. Quibus ad manus sunt quadrantes & Instrumenta grandiora in minutias graduum divisa, ii cum Auzuto, Petito & c. per Azimutha & altitudines solares rem feliciter conficiant, aut eorum modorum uno, quos habet Kircherus L. II. Art. Magn. Part. VI. c. I. Alii his destituti mediis, Heveliana methodo, quam Cœlest. Mach. L. I. c. XVI. variam tradit, Eimmarti nostri Schematismo haud obscure expressam, citra magnas impensas & cum fructu utentur: nemo autem stylorum erectorum umbris (quæ vulgarissima cateroqui ratio est) aut similibus confidet, nisi in subsidium & cæterorum experimentorum confirmationem; quandoquidem in plurium, diversa methodo institutarum, Observationum consensu, meliores a sequioribus etiam aliquid roboris accipiunt.

III. Præstaret etiam duas minimum acus in quavis Observatione adhiberi, easque quam optimas, & nec parvulas nimium, quæ differentias Declinationum exacte satis indicare non valent, neque valde grandes, quas mole sua magneticam virtutem frequentius eludere experti sumus, sed mediocres, agiles & vivaces; & pyxides ita fabrefieri, ut in fundo arcuum saltem plurium graduum in minuta singula aut quina saltem, transversalibus lineis divisorum, haberent; quales equidem ab artificibus Norimbergensibus peritissimis omni studio pretioque justo ut parentur, securaturum sedulo Laudatissimus Dn. Volckamerus recepit.

IV. Esse vero ad hoc Observationum genus ejusmodi locum eligendum, qui planus & ad libellam exæquatus nulla latentis magnetismi aut vicini ferri fallacia suspectus sit, nobis etiam non monentibus, unusquisque facile judicabit.

Sic igitur juncto studio & unanimi conatu si Curiosorum quisque suo loco per universam Germaniam nostram (quod idem exteros quoque in suis regionibus pari consensu facturos nulli ambigimus) magnetis declinationem quotannis aliquoties inquirere, Observaciones porro suas, quo mense ac die, quoque instrumentorum apparatu factæ essent, quot item graduum ac minorum a meridiana linea in alteru-

tram partem secessio fuisset deprehensa &c. ad Nobilissimum Dn. Volckamerum perscribere non gravarentur, facturi essent utique rem nobis opido gratissimam & publico bono nostra opinione longe utilissimam &c. Altdorfi Noricorum Pridie Festi Paschalis cIdo Idc LXXXII.

D. A. Q. RIVINI Dissertatio de Lipsiensi peste

Anni 1680.

Prostat apud L. S. Cörnerum, Bibliopolam Lipsiens.
in 8. 1682.

Vestigia pressurus *Gaspari Calderi de Heredia*, de Peste Hispalensi, *Petria Castro*, de Peste Neapolitana, Romana & Genuensi, *Johannis Imperialis* de Peste anni 1630, *Gresleri*, de Peste Brunsvicensi, *Hodgesi*, de Peste Londinensi scribentium, Pestem sub illa facie, qua nobis præcipue, ante biennium, funesta satis existebat, in libello hoc delineat Auctor. Adeoque primo Pestis hujus naturam atque symptomata explicat, in quantum quidem hæc eorumque circumstantiæ illam aliorum temporum & locorum pestibus conformem, aut ab iis quoque discrepantem reddiderunt. Deinde Causam morbi hujus epidemici disquirens, castra illorum deserit, qui Contagium malignum, accusant, sive hoc a putredine, sive ab acrimonia salina, sive astorum influxu, sive exhalationibus fodinarum, sive cadaverum miasmatis & foetore, derivent: Imaginationem potius variis modis consternatam, seu terrorem, Pestis causam proximam & adæquatam pronunciat, quatenus hic spiritus omnium violentissime commoveat ac ad recessum disponat, unde non saltem varia generis nervosi contingant symptomata, sed sanguis quoque hinc coagulatus præter difficultatem spirandi, cordis angustias &c. bubones, carbunculos atque petechias formet. Atque hanc suam hypothesin variis observationibus ac ratiociniis comprobare, illisque, qui sine terrore, per contagium merum, infectos quosdam fuisse asserunt, satisfacere prolixè contendit. Quo facto & postquam pestis hujus invadentis signa ejusque varium eventum recensuit, præservandi ab eadem rationem declarat. Cujus occasione pleraque hæctenus ab Autoribus commendata Amuleta rejicit, horumque potentiam suspectam reddit, radicem Colchici tamen tanquam certissimum amuletum commendans. Et si omnium

mnium horum usum, si quem præstent, illum esse fatetur, quod talibus confisi præsidii magnanimitatem induant, spiritibusque robur contra contagii horrorem concilient. Pariter quoad odores, hirci fœtorem aliaque graveolentia ridet, fragrantium applicationem vanam, dubiam, imo nocivam proclamat: In conclavi tamen ægrotantium deflagrationem pulveris pyrii aliaque pauca naribus admota aut sub lingua detenta & masticata permittit. Hinc de Alexipharmacis præservationis gratia assumendis, v.g. Theriaca, acetis medicatis, fumo sulphuris &c. agit, horumque usum pariter evanidum, Sudoriferorum vero & Laxantium vim præservatoriam infulsam atque ridiculam credit. Quibus præmissis idem Autor quasdam præservandi regulas tradit, quas præprimis in eo consistunt, ut occasiones terroris ac nausæ cum omnibus illis, quæ vires enervant, fugiantur, quæ vero spiritus roborant, assumantur & adhibeantur, non neglectis, quæ copiam ac pravitatem humorum exturbant, remediis, sc. Venæ sectione, evacuatione & alteratione. Tandem Curam pestis subnectit, ejus quatuor indicia supponendo, ac *primo* ideam conceptæ cum terrore pestis, ut causam proximam, per morbi hujusque periculi dissimulationem, omniumque quæ metui ac desperationi ansam suppeditant, prudentem declinationem eradicanam: *secundo* hinc coagulatum sanguinem per sudorifera dissolvendum: *tertio* symptomata connexa mitiganda: ac *quarto* Bubones ac Carbunculos, tanquam productum morbosum, per externa tractandos. Ubi inter alia Vomitoriorum usum damnat, eumque non, nisi sub certis conditionibus & rarissime admittendum esse monet. Oleum scorpionum pro repellente habet, hinc bubonibus minime, sed pectori saltem ac pulsibus, illinendum commendat. Pariter bubones bubonum tumores potius repellere atque eorum dolorem sedare, neutiquam venenum ex iisdem attrahere, multo minus, juxta Paracelsum ac Hartmannū, applicatos intumescere *αὐτόπληης* testatur.

RELATIO DE MONSTRO VITULINO-

humano a Dn. D. Schreyer Physico Cizensi communicata.

Exhibuit flumen, quod Cizam alluit, juxta pagum Bornitz, die 17. *TAB. XIII.*
Julii 1681, monstrum horrendum, cujus cervici vitulino apposi- *Fig. I.*

Kk 3

tura

tum erat caput humanum. Hujus in superiore parte eminebat velamentum membranaceum mitriforme corrugatum: frons spithanum excedebat, & ubi desinit, oculi erant clausi, e quorum regione in utroque latere erigebantur aures felinis non majores. Nasum (deficiebat vero sinistrum foramen) habebat depressum: os patulum, utrinque dentatum. Mentum ornabant pili barbam caprinam mentientes. Collum videbatur elongatum: pectus vitulinum cum anterioribus pedibus: posteriores suilli, suillaque cauda in extremo pilosa. Cæterum totius monstri cutis nigricans erat ac a pilis nuda, sexusque monstrum foeminei. Interiorum examen vehementissimum fœtor prohibebat.

EXCERPTUM EX LITERIS ILLUSTRIS

Hevelii die 9 Junii, hoc anno, Gedani datis, de phænomeno quodam aereo observato.

Tab. XIII **A** Djicio phænomenum quoddam aereum hic Gedani non ita pridem, die sc. 10 April. st. n. vesperi, occidente sole a me ipso observatum. Quo tempore sol ad occasum vergens longissimos ac lucidissimos radios sursum versus projiciebat, instar caudæ cometice: in quorum cuspide, spurius sol, & quidem in inverso quodam arcu coloribus variato, instar iridis, distincte apparuit. Ego in ea sum opinione, hoc phænomenum citius sese mihi conspiciendum exhibuisset, in solis scilicet elevatori situ, sine dubio plures Parelîos ab utroque latere, cum caudis & aliis arcubus circa solem existentibus, ut fieri plerumque solet, comparituros fuisse. Proinde hoc phænomenum non nisi species, vel particula fuit pareliorum. Ego, uti ex *Mercurio* meo p. 172 liquet, semel septem soles simul in lucidissimis maximis arcubus, cum quibusdam caudis, in adversas cœli partes, respectu genuini solis, excurrentibus, cœlo serenissimo, in ipso meridie, anno sc. 1661 die 20 Febr. sicuti ex ipso ibidem apposito schemate patet, observavi. An simile phænomenum unquam ab ullo alio deprehensum hæctenus sit, nondum cognovi.

EXCERPTA EX COLLECTIONIBUS

Philosophicis Anglicis n. 3. A. 1681, p. 66 sq.

Observatio Eclipsæ Lunaræ 29 Aug. 1681 st. n. mense
ne, in observatorio Regio Parisiensi instituta.

TAB. XIII. ad A. 1682. pag. 262.

Phanomenum Aëreum.

Anno 1682 die 10 April. vesp. hor. 6. 40.

GEDANI


observ. à
IOH. HEVELIO

Monstrum Vitulino-
Humanum.

fig. 2.

fig. 1.





Ayuntamiento de Madrid

Di
Ec
D

8.

9.

9.

10.

4.

Sol

d.
18.

Digiti	Principium.	H. l. //
Eclips.	Umbræ appulsus ad <i>Grimaldum</i> .	1. 58. 30.
D l. //	Ad <i>Tychonem</i> .	2. 1. 30.
	Ad centrum <i>Lunæ</i> .	2. 8. 0.
	Ad medium <i>Copernici</i> .	2. 37. 30.
	Ad <i>Aristarchum</i> .	2. 39. 30.
8. 16. 0.	Ad medium <i>Manilii</i> .	2. 40. 0.
	Ad <i>Plinium</i> .	2. 54. 30.
9. 2. 0.	Ad inferiorem partem <i>Maris Caspii</i> .	3. 1. 0.
9. 31. 20.	Ad superius latus <i>Maris Caspii</i> .	3. 7. 30.
10. 1. 0.	Maxima obscuratio.	3. 18. 30.
	Reditus Umbræ.	3. 35. 45.
4. 46. 0.	Ad <i>Aristarchum</i> .	3. 47. 0.
	Ad Centrum <i>Lunæ</i> .	4. 29. 0.
	Ad <i>Tychonem</i> .	4. 41. 30.
	Finis Eclipseos.	5. 13. 0.
	Tota Duratio.	3. 40. 30.

Nota: Hora 5. 13 min. 56 sec. apparens Altitudo superioris limbi Solaris erat 17 min. 10 sec. & Lunæ 1 gr. 11 min. 30 sec.

EADEM ECLIPSIS

Tempora per Horologi. Oscillat.		Tempora inde per Obser. Correct.		Observata Greenovici, Aug. 18 post med. noct. seq. A. 1681 a Jo. Flamsteed.
d.	H. l. //	H. l. //	H. l. //	
18.	13. 05. 00.	13. 00. 00.		L Unæ Diameter 6191. 30 53"
	46. 30.	41. 30.		Penumbra Notabilis.
	53. 40.	48. 40.		Penumbra Densa.
	55. 40.	50. 40.		Initium.
	58. 00.	53. 00.		Umbræ ad Montem Climacem.
14.	03. 20.	58. 20.		Sinus Sirbonis incipit.
	5. 50.	14. 00. 50.		Mareotis incipit.
	7. 30.	2. 30.		Mons Cataractes incipit.

Tempora

	<i>Tempora per Horolo- gi. Oscillat.</i>	<i>Tempora in- de per Obser. correct.</i>	
	d h.14. / //	h.14. / //	
18	8. 16.	3. 16.	Mareotis tota tecta.
	10. 50.	5. 50.	Sina incipit.
	12. 56.	7. 56.	Sina tota tecta.
	18. 00.	13. 00.	Audus.
	27. 24.	22. 24.	Circinna.
	31. 00.	26. 00.	———— Abulfeda Ricciolo.
	32. 30.	27. 30.	Pentadactylus incipit.
	33. 32.	28. 32.	Ætnæ limbus primus.
	34. 26.	29. 26.	Pentadactylus totus.
	35. 06.	30. 06.	Ætnæ medium.
	36. 00.	31. 00.	Ætna tota tecta.
	40. 00.	35. 00.	Umbra per Med. Porphyriten.
	44. 50.	39. 50.	Hiera Insula & Ficaria simul ad Umbram.
	46. 10.	41. 10.	Umbra ad Horminium.
	50. 10.	45. 10.	Mons Hercules incipit.
	51. 10.	46. 10.	Mons Hercules intra.
	52. 10.	47. 10.	Umbra per Med. Besbici.
	54. 00.	49. 00.	per Med. Insulæ Majoris.
	55. 30.	50. 30.	per Med. Byzantium.
	57. 40.	52. 40.	per Med. Insulæ Cyaneæ. (metis.
15.	01. 50.	56. 50.	ad Limbum primum Corocondo-
	4. 30.	59. 30.	ad Limbum primum Mæotidis.
	13. 00.	15. 08.	Macra incipit obscurari: dub.
	14. 00.	9. 00.	Mæotis tota tecta.
	19. 12.	14. 12.	Partes lucidæ residuæ erant 1092. 5. 27. tunc Lunam densæ nubes exceperet sub quibus latuit usque ad ejus Occa- sum.

Eandem Eclipsin Gedani ab illustri Hevelio observatam Calendis
Jan. p. 28. sqq. exhibuimus.